

num architectatus fuerat ) concinnata, quando bipennem suam Mineruæ Deæ in Gargaria Italiae regione prope Metapontum dedicauit, illa Simmia securis operibus Theocriti subiungitur.

De statera, & eius partibus.

Quis amabo homini suggestit stateram uentionem, ut iustitiæ virtuti pulcherrimam seruiret? quis eum docuit, ut trutinam pro hypomoclio, pro pondere collocaret æquipondium, & pondus in lance constitutum potentiam repræsentaret? quis ei stateram hastam pro vecte, & pro sparro trutinam suggestit? unde forcipum (quibus dentes, & clauis tam facile extrahuntur) hypomochion in connexione duorum laterum, tanquam duorum vectium vnicam fulturam nitentium, statuendum agnouit? Tantane cæcitate vllus imposterus Atheus affici poterit, ut non videat tollenones, vel celonia, & eorum partes.

Forcipes eorum partibus.

To lenones, vel celonia, & eorum partes.

Deus optimus mentem illam indidisset, qua super tigno transversam hastam ageret, quæ vectis instat in vno extremo vim motricem, in alio pondus hydræ, fultura interim in tigni vertice constituta, teneret? I nunc & vbiq; diuinam providentiam admirare, quæ non solum omnia fecit in numero, pòdere, & mensura, sed etiam animi vim homini contulit, ut omnia, quæ cùnque perficeret, & excogitaret, numero, pondere, & mensura complecteretur: ipsos aspice rusticos, cum phalangant, cur onus in medio phalangæ accommodant, nisi quia dùm æquo distant ab onere, quod hypomochlij vices obit, alter alterum æquè premit, & vtrique gestantium sit illud, quod phalanga, seu vecte mouetur, & eodem modo alter alteri sit pondus; alioqui si quis ab onere remotior fuerit socium premet veluti pondus, contrariante oneris hypomoclio, & ipse rationem potentiam vectem mouentis induet.

De phalangæ rustico-tum.

Hic aduersus Atheos nota.

Itaque his præmissis plumbeum dixerò, qui nõ ad Dei cognitionem surrexit, quemadmodum enim nauigium sine remone, & antennis: trochlea sine pegmatibus: vectis sine hypomoclio; collops sine iugulo, vel succulis; statera sine æquipondio; libra sine lancibus, & sparro: circulus denique ex omni parte mirabilis absque centro, mundus sine circulo stare nequit, ita neque homo, neque angeli, neque cæli, & astra, neque elementa, neque nauigia, trochleæ, phalangæ, libra, statera, vectes absque Deo esse possunt.

Scio quidẽ non deesse, qui negent circulum ex contrariis constitutum esse, qualis est Bernardinus Baldus in mechanica Aristot sed illud nolim hic discutere.

Circulus figurarum miraculum, est omnium mechanicorum principium, & causa; Deus verò rerum omnium; circulus, licet vniformis, ex contrariis constitutus esse videtur, cum oriatur ex còmoto, & commouente: nam vnus rectæ lineæ circunouolutione perficitur, cuius alterum extremum fixum manet, alterum verò circumagitur; nunquid in Deo *πρωτη* locum habere videtur, dum immotus omnia mouet, & in se incircumscriptibilis, & infinitus, in suis operibus finitus, & circumscriptus apparet? vnde Athei perpetam concludunt diametrum esse sine centro, & lineam sine extremo, creaturas enim linearum instar aspiciunt ac velut, semidiametros contemplantur, verum de sine, de centro, de principio, de circulo omnia continente, de Deo, à quo lineæ, & omnia proficiuntur minimè cogitant.

Nihil obstat quod hæc circuli proprietates

In circulo tursus concauum, & conuexum inter se contraria sunt, nam quemadmodum paruũ & magnum inter se commutari nequeunt, nisi prius ad æquale perueniant, ita concauum

in conuexum transire nequit, nisi prius in lineam rectam euadat.

Sanè nunquam poterit Atheus ad agnitionem maiestatis diuinæ pertingere, quæ veluti rerum omnium còuexa superficies ambit omnia nisi ex illa cæcitate, & impietatis (uæ còcauitate, & curuitate, qua in seipsum ita curuatur & còuertitur, ut sibi soli credat, seque omnia còprehendere posse arbitretur, velut è profundis, & concauis latebris erumpat, & ad rectam rationis rectam lineam asurgat, quæ satis conuincit Deum conuexæ superficiei instar toti naturæ præsentem, omnia concludentem, ad quem nemo pertingeret, donec ad rectæ rationis normam, tanquam ad lapidem lydium, & Polyæti regulam actiones, & cogitationes suas componat: Abijce ergo tuum *καλον & μακρον*, ut ad infinitum illud *κατων & πομυχα* peruenias, atque propriæ pusillanimitatis oblitus, cogita aliquid esse tuo captu maius, quo maius nihil: optimum quòd melius: verissimum, quo verius: iustissimum, quo iustius, pulcherrimum, quo pulchrius: potentissimum, quo potentius nihil esse, vel excogitari potest.

ellipsi hyperbolæ, parabolæ, spiræ, cylindricis, & còchois conueniant, satis enim est quod prius circulo.

Non quod sit in Deo superficies, sed infinita potentia, qua omnia còplectitur.

Deus igitur est instar circumferentiæ infinitæ, quæ licet ex linea indiuisibili constet, illam tamè contrarietatem, atque repugnantiam in se complectitur, ut qua parte concaua est, eadem conuexa esse nequeat, si tamen partem in linea secundum latitudinem statuere possimus.

Acuta Dei cum circumferentiâ colatio.

Quam obsecro in Deo potest inueniri contrarietas, & veluti repugnantia? nunquid productio, & improductio ut ita loquar, vel potius generatio, siue nascibilitas, quæ verbo, & innascibilitas quæ patri conuenit: ac si hæc illam quodammodo contineret, quatenus pater cui conuenit innascibilitas, filium continere censetur, quia vim illius productricem habet: quod & actiua spirationi patri, filioque communi, spirationi passiuæ, quæ est in Spiritu sancto accommodari potest. Veruntamen illæ contrarietates, & veluti repugnantia, vel potius distinctiones personales inter se perquam optime conueniunt, & in vnica diuinitatis indiuisiua natura, tanquam in indiuisibili linea, sine dissidio, summa pace morantur, licet filius pater esse nequeat, neque Spiritus sanctus filius, aut pater, neq; generatio passiuam mutari possit in actiuam, neque passiuam spiratio in actiuam spirationem.

O mirabilem circulum! ò numen non solum vectis, & trochleæ, sed rerum omnium principii, finis & exemplar; cuius conuexitas, infinitudo, cuius concauitas, potentia; quæ res ad opus deducendas respicit, cuius diameter, ipsa creatio, cuius centrum, ipsa essentia, nisi totius diuinitatis centrum malueris patrem æternum appellare, qui sicut centrum lineas, ita filium, & Spiritum sanctum producit, nam quemadmodum centrũ immobile, & velut improductum censetur, à quo nempe linearum omnium principium oritur, ita pater est improductus, & ingenitus, ac proinde penitus immobilis est, siue *κελευς*, siue *πρωτης*, aut alio quouis modo loquamur: vbi tamen filii, licet improprie, & *κατα χρονικη*, sicut & Spiritum sanctum mobilem apprehendere possumus, si personas illas in ipso exitu à producente manantes contemplerur, aut productiones istas motus nuncupemus, non locales. nõ alteratiuos, aut corruptioni obnoxios, sed ex omni parte, & infinite perfectos, quippe qui diuini sũt, imò & ipse Deus.

Quomodo Deus patet immobilis dici possit. alia verò personæ mobiles licet improprie, & abusuè.

Quod